Armiger eius erat beatissima virgo maria
que omnia eius arma gerebat compassione pia
Sicut enim armiger ionathe in necessitate sibi fideliter astitit
Ita armigera christi in passione fideliter sibi astitit
Vexillum predictum militis scilicet christi duorum erat colorum
quia in parte erat candidum et in parte rubicundum
Erat enim factum ex alba veste qua illusus fuit ab herode
et coccinea in qua illusus fuit in coronacione
Cum predictis armis miles iste tam fideliter pugnavit
quod per mortem suam omnes inimicos nostros superavit
Post hec cum triumpho victoriosus in celum ascendit
et patri suo cycatrices vulnerum pro nobis orans ostendit
Si quis ergo peccavit licet innumerabiliter tamen non diffidat
sed in hunc fidelissimum intercessorem confidat.
Si enim in patrem vel etiam in spiritum sanctum peccavimus
christus potest nos reconciliare et in hoc non diffidamus
Et si peccavimus in filium hoc est in christum
habemus advocatam fidelem que intercedat pro nobis apud ipsum
Christus ostendit cycatrices vulnerum patri que toleravit
Maria ostendit filio ubera quibus eum lactavit
Sicut ergo christus convenienter potest antypater appellari
Ita maria competenter potest antifilia nuncupari
O fidelissime antypater et o fidelissima antifilia
Quam summe necessaria sunt nobis miseris vestra auxilia
Quomodo posset ibi esse aliqua abnegacio
Ubi tam dulcissima est supplicacio
Quomodo enim posset clemens pater talis filii preces removere
quem videt pro mandato suo tales cycatrices habere
Quomodo posset talis filius tali matri aliquid negare
quos constat se mutuo tamquam seipsos amare
Nulli dubium quin deus semper exaudiat mariam
quam pre omnibus mortalibus constituit celi reginam
Istud per figuram olim preostensum fuit in rege assuero
qui dixit ad reginam hester postquam incaluisset mero
Pete a me quodcumque volueris
Si dimidium regni mei pecieris impetrabis
Tunc illa peciit populum suum ab iniquo aman defendi
quem rex statim precepit in patibulo suspendi
Hester erat de gente iudeorum et paupercula puella fuerat
et rex assuerus eam pre omnibus elegerat et reginam constituerat
Ita deus pre omnibus virginibus mariam elegit
et reginam celi ipsam constituit et fecit
Et per eius intervencionem hostem nostrum dampnavit
et ipsi marie dimidium regni sui donavit
Deus enim regnum suum in duas partes divisit
unam partem sibi retinuit aliam marie commisit
Due partes regni celestis sunt iusticia et misericordia
per iusticiam minatur nobis deus per misericordiam succurrit nobis
O bone ihesu exora clementer pro nobis tuum patrem . maria.
et exaudi libenter supplicantem pro nobis tuam matrem.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0135
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt